DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

QUIBUSDAM FEBRIS EPIDEMICÆ SEQUELIS,

QUÆ ANNO 1818 EBLANÆ GRASSATA EST;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS CUMING,

Hibernus.

Febris desinit in mortem, alium morbum, inque sanitatem.
BOERHAAVE.

Calendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER,

1819.

VIRO PRAESTANTISSIMO,

JOANNI CHEYNE, M. D.

&c. &c. &c.

AUCTOR

S. D.

Accipe, vir eximie, hocce, utcunque exiguum et imperfectum, opus, grati devotique animi testimonium.

Viam sane difficilem, neque hactenus tentatam, rudis atque inscius adivi; te autem monente, te duce, quis non superare auderet? Tibi, si quid sit boni, mihi, quodcunque mali in his paginis, tribuatur.

Vivas et valeas, decus medicinae, miseris solamen, nemini non amicus.

Ii autem cum omnia præclare dixerint, hoc tamen in argumento, in quo medicum exercitatissimum esse oportet, potissimum elaborârunt, ut morborum historias accurate describerent, signorumque discrimen omne et ipsi diligenter notarent, et aliis diserte distincteque explicarent.

FREIND.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

QUIBUSDAM FEBRIS EPIDEMICÆ SEQUELIS,

QUÆ ANNO 1818 EBLANÆ GRASSATA EST.

Cum mihi febrem epidemicam observandi, ut per maximam superioris anni partem in Nosocomiis *Domus Industriæ Dubliniensis* grassabatur, bona fuisset occasio; quandoque morbidas ejus sequelas, haud paucas, mihi etiam contigit perscrutari, de his quædam proferre in paginis sequentibus decrevi. Observandi autem opportunitates, non semper concessas, mihi tamen donatas, priusquam ad rem ventum, breviter exponam.

Mense Martio anno millesimo octingentesimo et decimo octavo in talium ægrorum accommodationem, quales, febre exacta, aliis morbis laborarent, quatuor in Nosocomio WHITWORTH seposita fuerunt conclavia. Haec curavit Doctor CHEYNE. Mihi ut *Clinico Scriniario* quosdam maximi momenti casus accidit annotare, et ex observationibus ægri praeter lectum scriptis hujusce dissertationis materiam duco. Multum equidem beneficio Doctoris CHEYNE devincior, qui mihi ut, rebus quas collegi, pro meo uterer, benigne et liberaliter permisit.

Aprili et Maio extiterunt in Nosocomio variis, postquam febris locum cesserat, affectionibus impediti triginta octo, scilicet, pulmonariis septendecim; hydropicis et rheumaticis, singulis, quinque. Ex cæteris laborabant duo dysenteria; duo hysteria; unus cephalitide; unus iritide; unus phlegmone; unus cynanche tonsillari; unus ictero; unus tympanite; unus melæna.

Junio et Julio ex ægris viginti octo hydrops in decem obtinuit: in quinque affectio pulmonaria. Ex cæteris laborabant quatuor dysenteria; duo paralysi; unus ephidrosi; unus hæ-

matemesi; unus dyspepsia; unus aphonia; unus phlegmatia dolenti; unus urinae incontinentia; unus amaurosi et dysecæa.

Augusto et Septembri sæpissime obtinuerunt affectiones pulmonariæ et dysentericæ. Rheumatismus et hydrops tamen nonnunquam occurrebant, ac fortasse sæpius, ni proferre in medium, seponendæ majoris partis Nosocomii, quo reciperentur dysenteria laborantes, horum numero admodum adaucto, necessitatem, admonitus esset Doctor CHEYNE.

Septembri viginti fuerunt dysenterici in Nosocomio, quorum tredecim, aut febricitantes, aut a febre convalescentes, in hunc morbum inciderunt. Quot fuerint aliæ affectiones, hoc tempore intervenientes, non habeo equidem recensere, quia propter infrequentiam minus curæ hoc, quam in mensibus præcedentibus eas annotare adhibebatur. Liquet tamen ex ratione præeunte, præcipuarum affectionum febri succedentium quatuor fuisse genera, scilicet, affectiones pulmonarias, hydropicas, rheumaticas, et dysentericas. De singulis iis animadvertam quæcunque casuum variorum sedula perlectio monebit.

DE SEQUELIS PULMONARIIS.

Ex viginti duobus, quos antea memoravi pulmone laboravisse, duo ante febrem morbo tentati sunt, quindecim febricitantes, quatuor convalescentes, et unus sexto mense posteaquam febris recesserat. Hicce cur casus hac ratione enumeretur plus infra patebit.

Ex hoc numero decem fuere simplices inflammationes, quarum omnes pulmonum texturæ quodammodo fuisse participes videntur: quinque fuere in quibus phthisis incipiebat: septem in quibus phthisis ad ultimum ejus stadium pervenerat.

Casuum qui memoratu dignissimi videntur aliquid mentionis faciam.

Primam quam notabo affectionem, viro febricitanti, annos triginta nato, incidebat, qui antea tussi obnoxius fuerat, et multum intemperantiæ deditus. Cum hic quarto post febrem lapsam mense receptus fuit, tussiebat sæpe, sonore, et strenue, multum exscreabat, adjunctis vehementi dyspnœa

et pectoris dolore. Incanduit genis rubor circumscriptus; pedes atque manus œdemate tentabantur, corpore toto macie extenuato. His, quae antea febricitanti advenerat, levis affectio dysenterica accedebat.

Sanguinis detractio, cum generalis, tum topica, aliquatenus levavit; at morbus locum tenuit donec paucos post dies, omnibus signis ingravescentibus, mors cito obveniebat. Paulo ante interitum urgebat larga ex intestinis hæmorrhagia.

Sectio cadaveris non obtinenda fuit. Signa tamen potius indicant extitisse in corpore strenuam ad hæmorrhagiam proclivitatem, ex qua oriebatur in pulmonem atque intestina effusio. Sanguinis circuitus per pulmones impeditus, cur œdema in extremis, atque lenis qui notabatur tumor abdominis, properante ad finem morbo, nascerentur, satis rationis præbebit. Insigne in hoc casu vinculum, a quo intestinorum ac pulmonum morbi nectuntur, tangere non semel posthac necesse erit.

Proximus, de quo rationem inibo, casus seorsim supra memoratus est, et hic inseritur, ut memoriæ tradam quod mihi videtur rarum.

Æger triginta duos annos exegerat, quem aliquod ante tempus agitabat tussis, nunc laxa, nunc stricta ; at in æstate magna intentione. Sexto, antequam receptus fuerat, mense, ardebat flagrante febri, quæ eum tres lunas detinuit. Pectus inter febricitandum non tentabatur. Memorabile! nam ex affectione pulmonaria, quae eum ante traxerat, par reri fuisset, febrem in organum corporis debilissimum iter suum intensuram, et ibi vires maximas indicaturam. In narratione febris Philadelphiæ Doctor Rush fatur : " It was " remarkable that this fever always found out the " weak part of every constitution it attacked *."

Huic rei, si concedatur tam acriter tentatum esse aliquid aliud organum, ut ei tota systematis incitatio impenderetur, satis rationis praeberet ; at verisimile est ex febri tracta et violenti caput praecipue implicitum esse : hoc magis consentaneum videtur, ex eo quod, cum delirium pneumoniæ, aut enteritidi superveniat, vires totæ morbi adeo cerebro occupentur, ut cæteras partes ferme immunes relinquant.

* Medical Inquiries and Observations, vol. iii, p. 138.

Tertius casus fuit viri, annos nonadecim nati, qui dies quosdam ante impetum febris tussi et hæmoptysi vexabatur. Pectus inter febricitandum dolebat; huic conjungebatur tussis cum sputo liberiore, quæ, febri finita, perstitit. Symptomata detractione sanguinis et vesicatoriis imminuta, dysenteria, quæ vitæ terminum dedit, superveniente, evanuerunt. Pleuræ secti cadaveris adhærentes et inflammatæ inveniebantur; effusio fuit in pectus et pericardium. Abdomen duodecim uncias liquidi tenuit. Terminus mucosæ membranæ intestini tenuis numerum vasorum auctum habuit. Coli membrana intima multum inflammationis, et ulcerationis ubi finiebat, exhibuit. Res, quæ non raro accidit, actio nempe morbida pectori et intestinis per vices succedens, in hoc casu notationem meretur.

Quarta, de qua dicemus, affectio, comitantibus anasarca universali, et signis ascitis, convalescenti incidit. Morbus, ex eo, quod membranæ pectoris et abdominis serosæ inflammatione obsidebantur, ortus esse videtur. Mulier, dies, antequam recepta fuit, decem, ægrotaverat. Verisimile est ex signis, dyspnœa, tussi, pectoris dum inspiraret, et

epigastrii ex pressu dolore; quinetiam, quia hydrops sese protulerat, inflammationem effusione in thoracem et abdomen facta, partim solutam esse. Similis inflammatio in textura cellulari, quam BICHAT eandem structuram, ac membrana serosa habere putat *, versata esse, ac eodem sese redigisse potest. Non raro tamen accidit pectoris inflammationem anasarcæ adjungi, et sanguis impeditus, quo minus facile pulmones permearet, facit, ut vasa exhalantia magis laborent, ideoque causam suppeditat, cur effusio in diversa cava, et texturam cellularem nasceretur. Non sperandum fuit morbum quorundam dierum, tam facile morem gesturum esse venæsectioni, quam si recentius contracta esset. Idcirco sanguis detractus parum levavit. Indicia pulmonaria, admotis pectori vesicatoriis, evanuerunt; hydropsque, his fugatis, paulatim subsedit. Recessus hydropis posteaquam pectus male sese habere cessaverat, anasarcam universalem aliquatenus ex impedita per pulmones circulatione ortam esse, facit, ut facile credamus. Pulvis jalapæ compositus solus ad hydropem oppri-

* Traité des Membranes, p. 90.

mendum adhibitus est. Haec medicina salutiferam suam virtutem intendisse videtur, cum ad eliciendam ex cavis liquida, tum ad obnitendum, quo minus diathesis inflammatoria, e qua morbus ortum duxerat, ad locum suum rediret.

Quintus virum exhibet casus, annos triginta quinque natum, qui morbi adventum sensit ex acri dolore pectoris, tussi, dyspnœa, et hæmoptysi. Hæc, non nisi post sanguinis missionem sæpe repetitam recesserunt, et ad congrediendum ei paulatim revalescenti redierunt. Iterum ad venæsectionem feliciter decurrebatur, dolore autem pectoris non funditus submoto. Æger, quia hepatica affectioni pulmonariæ conjuncta esse videbatur, usum hydrargyri aggressus est. Brevi post desuetudinem hydrargyri, et mense, post initium ægritudinis, tertio, in Nosocomium WHITWORTH recipitur. Sub hoc tempore gravatus fuit pectus, tussique acri, copiosa adjuncta exscreatione, urgebatur. Præterea, cutis erat flava, corpore magnopere fracto, et marcescente. Indicia febris hecticæ sese ostenderunt, et per quatuor præeuntes dies a diarrhœa laboraverat.

Remedia fuerunt pilulæ ex carbonate ammoniæ,

ipecacuanha, et pilula hydrargyri compositæ, cum mistura salina ammoniata, cui paululum tincturæ opii adjectum fuit. Ita tractatus cito convalescebat; affectio pectoris minuta est, atque vino et cibo nutriente ad sanitatem rediit. De modo operandi horum remediorum sententiam proferre vereor, nec satis illius internæ perturbationis naturam intelligo, ex qua tussis, exscreatio, atque alia symptomata orta sint.

In *sexto* et supremo casu affectio, inclinante febre, apparuit, notasque habuit, tussim violentem, et pectoris gravationem cum exscreatione minima. Affectiones hujusmodi tam crebro sub febris recessum obveniunt, ut ex observationibus sæpe repetitis, credere adducar, tussim, acri febri supervenientem, præsertim si larga expectoratio comitetur, prodesse. Tussis cum exscreatione libera nonnunquam detrudendi morbi nisus esse criticus videtur. Hæc tussis autem non ultra fines spatianda, quippe cum ex ea magna et injuria irremediabilis oriretur. Ut periculis obviam eamus, quae nascerentur, si tussis in aliquo casu valeret, sanguis tempestive mittatur, non plus decem unciis ferme. Experientia securum me præstat, cum

dicam, si decem sint casus, nos non falsos esse futuros in septem. Æger nuper memoratus, unciis decem sanguinis missis, cito se confirmavit.

Ex casibus quinque phthisis incipientis unusquisque inter febricitandum evenit. Ægri omnes vel ex conformatione prava, vel ex conditione valetudinis, vel ex ambobus, antea ad hunc morbum proclives fuisse videntur. Duo fuerunt viri; tres fœminæ. Harum duæ annos septendecim; tertia annos nonadecim exegerant. Illorum unus nonadecim; alter duodecim annos natus erat. In omnibus tussis, respiratio cita, pulsus accelerati, atque sudores, morbi præsentiam notabant. Uni puellarum catamenia nunquam adfuerant; in duabus aliquod tempus suppressa sunt.

Venæsectio, vesicatoria, et lichen islandicus cum acido sulphurico diluto, duobus ægrorum adhibebantur, et his remediis bonus fuit eventus. Duo Nosocomium, morbo perstante, sponte sua reliquerunt. Casus quintus praeter solitum tractatus contemplationem singularem meretur.

Puella, septendecim annos nata, gracilis, atque habitu molli, menses, antequam recepta fuit, decem, ex amenorrhœa ægrotaverat, et tussi brevi,

si quando frigori exponeretur, fuerat obnoxia. Cum in Nosocomium admissa est, paucos a febre dies convaluerat, qua durante, tussi et dolore lateris tentabatur. Tussis et expectoratio parca perstiterunt; ea prosequebantur pulsus accelerati, ardores hectici, atque sudores. Ad hæc summovenda sanguinis detractio, et mistura ex decocto lichenis islandici cum acido sulphurico diluto, præcipiebantur. Tussis sub hac tractatione remittebat; at omnia symptomata hectica magnopere ingravescebant. Pulsus in sexagesima parte horæ usque ad centum et quinquaginta surgebat; et sudores nocturni cum ardoris sensu in palmis et plantis pedum eam maxime cruciabant. Ex his idoneum videbatur virtutem vaporis picei, quæ paribus exemplis a Doctore Crichton præcipue laudata est, experiri *. Idcirco conclave parvulum in hoc propositum paratur, ægraque primo die tres horas sub aëre piceo manet. Notatum est, hoc tempore finito, eam frigidiorem se sensisse, et non nisi paululum tussisse. Pulsus, priusquam in vapores introïerat, ad centum et viginti descen-

* Crichton on the Fumigation of Tar in Consumption.

derant, atque ita permanserunt. Nocte proxima tussis et expectoratio minutæ sunt; at exacerbatio hectica, æque ac antea vehemens fuit. Indies vapore picis usurpato, die post hanc notationem quarto, vix tussiebat, et nihil expectorabat. Sudores nocturni, ardentibus minus palmis, perstiterunt; at pulsus ad centum et quatuordecim ceciderant. Hoc die pectus leviter cum tussiret, et caput vehementer doluisse, unicam, post suffitionem, horam, conquesta est. Dolor capitis antea semel occurrerat, et interdum postea, nunquam tamen plusquam duas horas aut tres permansurus. Dehinc tussis et expectoratio evanuerunt; at perstantibus dolore pectoris et sudoribus, paucas hirudines sterno admovere, et ad lichenem islandicum cum acido sulphurico diluto, (quæ post suffitionem piceam intermissa erant,) iterum decurrere idoneum videbatur. Die post hirudines admotas primo, (vapore picis ut antea usurpato,) pectoris dolor cessaverat, et eam per noctem bene dormiisse, et non nisi paululum sudasse, relatum est. Deinceps pulsus fiunt paulatim tardiores, minuuntur sudores, et demum tussire, exscreare, atque sudare desinit, cibum appetit, om-

nibus rite fungitur muneribus, ut constat ex ultima relatione, quæ decem dies post vaporis picei desuetudinem notata est. Paucos dehinc dies speciem sanitatis in totum instauratæ præ se ferens ex Nosocomio dimittitur.

Ex hujusce casus narratione liquet multa quam maxime urgentia symptomata, scilicet, tussim, exscreationem, et sudores hecticos, evanuisse, dum ægra aëri piceo exponeretur : pulsuum frequentia etiam minuta est ; et quamvis sudores, non nisi post hirudines sterno admotas, atque lichenem islandicum cum acido sulphurico diluto repetitum, cessaverint ; tamen eos quoque, nullis præterea adhibitis remediis, locum esse cessuros verisimile est. Ex bono aut malo unici casus eventu, de ullius methodi medendi efficacia, aut inefficacia, aliquid statuere, imprudentis, et non philosophi esset. Casus hujusce exitus, etsi inferre aliquid de vaporis picei virtute in medenda phthisi nobis non permittit ; causa tamen erit, cur hoc remedium repeteretur, quippe cum efficacia ejus, aut inefficacia, sæpissime experiendo et observando solum cognosci poterit. Quamvis Doctor CRICHTON recentiorum fuisset, qui ut vaporem piceum inspirarent, phthi-

si laborantibus commendaverunt; tamen priores auctores balsamica sub forma aëris pulmonibus adhibere non ignorasse, liquet ex sententia sequenti in Monitis et Præceptis Medicis Doctoris Mead: "Finem his imponam, postquam monuerim in casibus nonnullis utilissimum esse balsamicis, qualia sunt thus, styrax, succinum, benzoinum, humores acres et salsos delenire ac temperare, quæ in prunas injecta vaporare debent, ut fumus eorum per tubum aptum in asperam arteriam et pulmonem recipiatur." Cum dixerit hunc medendi modum raro exerceri, et efficaciorem esse quia balsamica pulmonibus immediate adhibentur, pergit, quid ex experientia sua collegerat, memorare: "Ob eandem quoque rationem novi fumum ex balsamo tolutano, more tabaci, per tubum commodum in pulmones inspiratum, usus fuisse eximii, præcipue in sanguinis sputo *."

Ex casibus septem phthisis confirmatæ duo ante febrem extiterant; quatuor inter febricitandum, et unus inter convalescendum evenerunt. Hoc

* Caput de Febribus Lentis, p. 52.

morbo laborantium, sex fuerunt fœminae, atque unus mas. Sex mortem obierunt; unus revaluit. Morbus tussi, sputo purulento, et febre hectica, in omnibus denotatus est. Ægri in casibus quatuor intra hebdomadam post admissionem mortui sunt. Vita casu uno plus quam tres menses producebatur. Morbus hoc casu puellæ, annos viginti natæ, dum laborabat a febre et bronchitide, incidit, et si cum supradictis componas, tarde progressus est. Hoc ortum esse ex iis, quod conclave privatum occupaverat, et quod pulmo sinister tantum leviter tuberculosus fuit, dum dexter, parte reliqua abscessibus et tuberculis referta, ferme defuit, verisimile videtur. Morbus iis conclavia communia occupantibus exitium cum celeritate insigni attulit. An hoc calori in aëre conclavium communium minori, aut mephiti infestæ ex pulmonibus plurimorum ab eodem morbo vexatorum, conferendum sit, aliis statuendum relinquam. Tam bene hoc cognitum est Doctori CHEYNE, ut certiorem se facere, an phthisi laborantibus usquam alio fuisset commodum hospitium, priusquam in Nosocomium admissi sint, sui officii æstimaret.

Morbida post mortem visa fuerunt tubercula,

abscessus, et in pulmonibus vomicæ, aliquatenus adhærentibus et densatis pleuris. Casibus in nonnullis, qui strenua inflammationis prioris signa exhibuerant, serum aut pus in thoracis cavum effusum est. In pluribus exemplis glandulæ bronchiales amplificatæ et induratæ sunt. Pulmones casu uno in materiam jecore duriorem, et cartilagini in quibusdam locis simillimam, convertebantur. Species hæc ex tuberculis acervatis, de quibus pulmones in totum fere constiterunt, evidenter nata est. In unoquoque casu inflammatio tuberculosa in suppurationem desinens morbum inchoasse videtur. Varietates læsionis organicæ subsequentes, vel quia inflammatio tuberculosa extensa fuerit, vel propter irritationem ea præbitam, vel ex causis externis, scilicet, frigore, &c., variis temporibus adhibitis, partas esse, admodum verisimile est. Abscessus in pulmonibus cum magni essent foraminibus rectis cum bronchiis communicare ferme inveniebantur. Rotunda fuerunt hæc foramina, et formata esse abscessu iter suum in cava bronchialia ulceranti videntur. Processus albi columnis similes, quaquaversum permeantes, cava abscessuum majorum intersecare notati sunt. Hi reliquiæ vasorum fortasse fuerunt. Cum

parvi fuissent abscessus communicatio cum bronchiis raro inveniri potuit. His casibus ergo sputum ex bronchiorum membrana, quæ in phthisi materiam expectoratam sæpissime secernere a Doctore Bayle putatur, processisse videretur *. Probabile est in stadiis primis phthisis membranam bronchiorum mucosam fontem esse, ex quo profluit materia exscreata. Sputum, morbo progrediente, et abscessibus amplificatis, ex secretione bronchiali cum pure abscessus constare videtur. Si hoc sit verum, phthisin, saltem in initio morbi, ex sputi specie certe dignoscere, impossibile erit. Membrana mucosa intestinorum tenuium uno casu, in quo affectio pulmonaria torminibus, tenesmo, et sanguinis alvi dejectionibus per vices successit, inflammata, et ulcerationibus plurimis atque parvis ilei prope terminum obsessa, reperiebatur. Membrana etiam intima intestinorum majorum vasis abundavit. Casu alio membrana mucosa intestinorum in numero vasorum multum adaucta est.

De uno casuum supradictorum, in quibus phthi-

---

* Researches on Pulmonary Phthisis, translated by Dr Barrow, p. 24.

sis ante febrem extiterat, satis est observare, morbum, febri grassante, ingravuisse, propterque eam, approperare ad finem funestam visum esse. De altero, quia ægra revaluit, et quia ex phthisi confirmata revalescere insigne est, plura dicam.

Puella, annos quindecim nata, tussi et hæmoptysi in annum ante febrem subinde obnoxia fuerat. Cum in Nosocomium admissa est, paucos tantum dies convaluerat, et ex tussi vehementi cum exscreatione purulenta, et lateris sinistri dolore, plena inspiratione et tussi adaucto, laborabat. His accedebant pulsus accelerati, et, noctes in singulas, sudores. Corpus tantum leviter extenuatum est. Dies decem aut octo in hac conditione perstitit, donec rigor vehemens et universalis, febris impetum inducturus, aggreditur. Pectoris affectio inter febricitandum perstat; signa tamen pulmonaria, febri subsidente, languescunt; et demum æque ex ambobus liberata a Nosocomio dimittitur.

Casum phthisis pulmonalis, ut ego et Doctor Cheyne primo putavimus, hunc hactenus vocavi. Diagnosin tamen exitus minus certiorem ostendit, et nunc fuisse casum phthisis mucosæ, vel, ut a Doctore Bayle nominatur, *catarrhi chronici pul-*

monarii, potius quam phthisis confirmatæ tuberculosæ, credere propensus sum. Catarrhus chronicus pulmonarius eorum est morborum, cum quibus phthisis secundum Doctorem BAYLE sæpissime confunditur *; atque ex bronchiis derivationem ad aliam corporis partem, quæ morbum pulmonum finiret, quam resolutionem tuberculosam in pulmonibus ex febre naturam esse, concipere facilius est. Inflammatio certum tuberculosa extitisse, et, febri superveniente, soluta esse potuit. Sed si signa supra memorata, quorum plurima in provectis phthisis gradibus occurrunt, ex inflammatione tuberculosa nata essent, inde suppurationem aliquatenus consecuturam, minime improbabile videtur. Ex hac orientia non tam cito evanescerent, quam quæ genuisset inflammatio. Notatu dignum est, multa quamvis signa, scilicet, tussis, exscreatio, ardores hectici, et sudores, eorum fuerint, quæ phthisin in ultimo ejus stadio prosequuntur, corpus tamen vix extenuatum esse. Corporis autem emaciatio, secundum omnes auctores, semper assiduum hujusce morbi indicium

* Researches on Pulmonary Phthisis, translated by Dr Barrow, p. 8.

est. Inflammatio chronica membranæ tracheæ et bronchiorum mucosæ, cur orirentur tussis, et impetus hæmoptysis intervenientes, ex quibus ægra, annum ante admissionem, laboraverat, satis rationis præberet. Ex bronchiis secretio vitiata, ab inflammatione pendens, quam materiæ expectoratæ præcipuum esse fontem in plurimis phthisis casibus Doctor BAYLE putat, exscreationis purulentæ, postea occurrentis, causa fuisse potest. In quinquagesima sua tertia observatione casum refert Doctor BAYLE, ad sanationem spontaneam catarrhi chronici pulmonarii illustrandam, speciem phthisis præ se ferentis. Æger signis, quæ phthisin in ultimis ejus gradibus denotant, vexatus est; ingruente tamen febre, quam rigor vehemens præcessit, et secuti sunt largi sudores, subito revaluit. De hoc casu ita loquitur Doctor BAYLE: "This "disorder, which exhibited many of the symptoms "of pulmonary phthisis, terminated all at once "after three months' duration. The attack was "sudden: the termination was a true crisis, and "could not be attributed to any medicine. Af-"ter the crisis, neither cough, nor oppression of "the breathing remained. The resolution of a tu-"bercular affection, or the disappearance of tran-

"sparent miliary granulations, would not have "been in this way, supposing these terminations "could have taken place at all *."

Casus phthisis pulmonalis, qui inter convalescendum evenit, considerandus superest. Mulieri, annos viginti septem natæ, incidit, quæ catamenia sex lunas proximas non demiserat, et catarrho præsertim in æstate antea obnoxia fuerat. Morbus moleste, et raptim respirando, multo vultus rubore, et pulsu frequenti, primo denotatus est. Ægra difficiliter spirare post sanguinem detractum, et tractationem solitam antiphlogisticam cito desiit; perstantibus tamen aliis signis, menses post admissionem duos, suo fato succubuit. Æquum est memorare vaporem piceum in hoc casu expertum nihil usus attulisse.

Unamquamque affectionum pulmonariarum febri succedentium generis fuisse inflammatorii, texturas pulmonum omnes aliquatenus inflammatas, inflammationem tuberculosam in suppurationem desinentem morbum sæpissime peperisse, has affectiones plerumque inter febricitandum ortas, et quamvis casibus duobus ante febrem extiterint,

* Researches on Pulmonary Phthisis.

tamen, ea grassante, multum esse incensas, ex ratione præcedente constat. Texturæ pulmonum variæ inflammationi ante febrem raro fuisse proclives videntur. Inflammatio membranarum pectoris, febri durante, eveniens, actionem adauctam systema hoc tempore permeasse plane ostendit. Hæc actio adaucta, membranas versus pectoris derivata, inflammationem genuit. Aliis rebus circumstantibus, inflammationem in cerebri membranis, aut dysenteriam, vel hydropem, membranas versus viscerum abdominalium derivata, genuisset: de quo plus infra. Paribus inflammationis exemplis inter convalescendum evenientibus, proclivitas ad actionem inflammatoriam suscipiendam, febri durante, contracta fuisset. Hæc, si æger frigori exponatur, aut non temperet diætam, ad agendum vocaretur; et convalescentes his semper obnoxii sunt. Pleræque affectiones tuberculosæ inter febricitandum evenerunt, et ad morbum propensio fere in omnibus antea extiterat. Inflammatio tuberculosa, febri durante, eveniens, affectionem inflammatoriam systema totum pervasisse ostendit. Tubercula in pulmonibus ante febrem extitisse ex signis prioribus facile credatur. Febris ideo incitatio hæc non formavit; at

causa fuisse præcipua, cur inflammarentur, atque ita fundamentum morbi subsequentis posuisse videtur. Proclivitas ad actionem inflammatoriam suscipiendam, casu unico inflammationis tuberculosæ inter convalescendum contingentis, per febris decursum comparata esset.

Quando febris sæpenumero systematis actionem auget, quandoque hæc actio aucta aliquod organum versus (præsertim si sit ad morbum proclive) derivata, inflammationem non raro generat, uti hoc modo febris depellendæ, (quantum occurrendi saltem pulmonariis ejus sequelis interest,) qui in excitatione coërcenda, et propensione ad inflammationem prævertenda, maxime valet, oportere sequitur. Regimen antiphlogisticum ad hæc efficienda percolendum ; at venæsectio remedia omnia superat. Ex sanguinis detractione, sine reputando morbi ætatem, aut symptomatum conditionem, atrocia equidem consequerentur. Cum venæsectionem igitur laudem usum ejus sine discrimine non volo. Casibus his tantum, in quibus sunt aliquid organum versus derivationes, æque ac incitationis signa generalis, sanguinis missionem censeo esse justam. His circumstantibus, unciarum paucarum sanguinis de-

tractio tempestiva non tantum signa maxime urgentia attenuet, sed derivationes organicas tam mature avertendo, quo minus morbus postea formetur, impediet. Tussis, aut aliud irritationis pulmonariæ signum, ubicunque obstructionem pulmonariam suspicamur, eveniens, semper minitatur, et, ni cito opprimatur, fundamentum noxæ irremediabilis locet. Periculum hoc casu ex probabilitate tubercula inflammanda iri, et suppuratura, oritur. Ut inflammatio hæc, et suppuratio sequens impediantur, strenue agendum. Æger sanguinis missione exitio præcipue eripiendus. Medici sapientis erit, ubi signa irritationis pulmonariæ gradibus febris provectis eveniunt, et multa debilitate generali complicantur, secum probe reputare, an sinat affectionem pectoris invictam manere, an eam summovere pretio vires debellandi, et convalescentiam morandi, nitatur.

DE SEQUELIS HYDROPICIS.

Ex casibus nonadecim hydropis unus ante febrem extiterat; duo inter febricitandum, et sex-

decim inter convalescendum evenerunt. Ascites in quinque ita laborantes, in unum hydrocephalus acutus, in alterum hydrops pericardii, in tertium hydrothorax, in quartam anasarca universalis, et in decem pedum atque crurum œdema inciderunt. Œdema crurum, aut anasarca universalis affectionibus asciticis ferme adfuit.

Puer mutus, annum decimum agens, qui paucos tantum dies ab impetu febris quinto convaluerat, hydrocephalo acuto corripiebatur. Febris superior caput et pectus præcipue tenuisse videtur. Nonnullos dies antequam admissus est liquidum subviride evomuit. Ex sævo convulsionum incursu, stupore summo cum in Nosocomium reciperetur, obsessus, die altero obiit. Volumina cerebri, cadavere aperto, plana; pia mater sana apparuerunt; at, secta medulla cerebri, plurima puncta rubra, ex quibus compressis sanguis stillabat, sese ostenderunt. Corpus callosum alte sublatum est, et ventriculi ambo circiter duas uncias liquidi tenebant. Pulmo uterque quaquaversum adhærebat; dexter leviter tuberculosus fuit, dum pleura sinistri magnopere densata numerum vasculorum auctum habuit. Glandulæ lymphaticæ in mediastino posteriori, et prope pul-

monis utriusque radicem, multum amplificatæ erant, candidæ, et interne ulceratæ. Prolationes laxæ et cellulosæ superficiem membranæ jecoris serosæ obtegebant. Aures hujusce pueri, utpote ex ortu muti, operæ pretium visum est perscrutari. Dextra perfecte sana, canalibus semicircularibus in sinistra vitium fuit, utrumque foramen unicum in vestibulum habuisse, et per aliquod spatium iter solitum permeantem paulatim minutum esse, et tandem in puncto finitum.

Membranas cavorum variorum serosas in actionem inflammatoriam cecidisse, cum ex signis, tum ex indiciis post mortem exhibitis, patuit. Lympha effusa et adhæsiones inflammationem in pectore et abdomine absolverunt. Effusio seri in cerebro, quo adhæsiones et lymphæ effusiones raro accidunt *, ex actione inflammatoria præeunte provenisse videtur. Effusioni huic, atque actioni cerebri auctæ, attribuendæ sunt vomitio et convulsiones. Vinculum inter morbum hepaticum et cephalicum, scribentibus de hydrocephalo sæpissime notatum, in hoc casu observationem meretur. Quando structura organica unius tan-

* Morbid Anatomy, by M. Baillie, M. D. p. 448-9.

tum auris vitiosa fuit, dum altera sana apparuit, surditatem ex aliqua mutatione non sensibus notabili in nervi auditorii structura, aut functione, pependisse, verisimile est.

Puer, qui ex hydrope pericardii laborabat, annos duodecim natus erat. Ab impetu quinto febris convalescens frigori exponebatur, statimque tussi brevi, adjuncto pectoris dolore, corripiebatur. Respiratio festinata, aliquando sonora, interdumque quasi dolore interrupta fuit. Cor violenter palpitabat, pulsusque sibi non constantes, ab micationibus in sexagesima parte horæ centum et quadraginta usque ad centum et septuaginta variabant. Functiones, quamvis plurimum turbatæ sint, in crure sinistro quod turgidulum erat, et in pectore cum tussiret, dolorem, tantum conquerebatur. Propter hæc tartarum ferri, (*Pharmacopœiæ Dubliniensis,*) et scilla cum pilula hydrargyri et opio conjuncta, adhibebantur. Pectori admovebatur vesicatorium. Morbo tamen perstante, facies tumet; comparet in abdomine fluctuatio, et cerebri oppressi symptomata morti cito sequenti præcurrunt. Cadavere aperto, serum in omnibus cavis repertum: scilicet, unciæ sex sub tunica arachnoidea; in pericardio quatuor; con-

gius in abdomine : duæ maculæ albæ in cordis superficie notabantur. Peritonæum supra solitum candidum, spissatum, et opacum fuit, tunicis intestinorum densatis. Ex hujusce affectionis signis, potius quam ex indiciis post mortem exhibitis, ut crederem hunc casum fuisse hydropis pericardii inductus sum. Maculæ supra cordis superficiem albæ, æque ac peritonæi densatio et opacitas, has partes antea inflammatas esse, unde oriebatur seri effusio, probabile reddunt. Faciei œdema, utpote cordis morbidi comes ferme assiduus, notationis dignissimum videtur *.

Viro, annum vigesimum sextum degenti, et a febre paucos dies absoluto, qua perstante, pedes atque crura tumuerant, incidit hydrothorax. Tussi difficili, dyspnœa atroci, et pectoris oppressione post febrem correptus, abdomen tensum, turgidulum, atque cum premeretur tenerum, habuit. Diarrhœa dies nonnullos priusquam abdomen intumuerat instans, ascite apparente, sese multum remittebat. Signa remediis exscreationem et urinam cientibus, hirudinibus epigastrio admotis, at-

* Clinical Report on Dropsies, by J. Crampton, M. D.—Transactions College of Physicians in Ireland.

que alvum rite solvendo, paulatim imminuta, tandem leni crurum œdemate excepto, evanuerunt.

Hunc morbum hydrothoracem dicendo pectus solum tentatum esse non volo; nam membranam abdominis serosam, et universalem texturam cellularem implicitas, atque ex abdominis tensione, et cum premeretur dolore, inflammatoriam fuisse ejus affectionem, constat. Diarrhœa, quippe quæ, ascite superveniente, quam maxime minueretur, morbi membranis mucosis et serosis per vices succedentis exemplum præbet *. Hoc notatu dignissimum a Doctore Cheyne monitus, primum observavi, sed occasiones multæ frequentiam ejus animadvertendi mihi postea contigerunt.

Anasarca generalis puellam in anno ætatis duodecimo, duas post febrem victam hebdomadas, petiit. Admissæ in Nosocomium, dies, post ægritudinem ineuntem, quatuordecim, abdomen ejus tumore tenso, resultante, doloremque tactu afferente, ex quo percusso sensus fluctuandi obscurus oriebatur, occupatum est. Œdema pedes primum, deinceps crura, abdomen, et faciem, quæ

---

* Dr Cheyne on Fever. Dublin Hospital Reports, vol. i, p. 35. Case of Dropsy, &c. by E. Percival, M. B. Dublin Hospital Reports.

adeo turgebat, ut palpebræ amborum oculorum ferme clauderentur, obsedit. Urina, non ardore coagulanda, in quantitate naturali effluxit.

Ægra, functionibus vix turbatis, non in aliqua parte dolorem conquerebatur. Hirudines epigastrio admotæ; et catharticum salinum, pro re nata repetendum, præcipiebatur. Tumore hac tractatione minime reducto, dolorem in hypochondrio sinistro, auctum premendo, conqueri incepit; fluidum subviride sæpe evomebat, interdumque sanguinem cum alvi levationibus demittebat. Ob hæc pilula hydrargyri cum pulvere ipecacuanhæ composito adhibebatur. Dejectiones alvi ad naturæ normam oleo ricini redigebantur, fricabaturque unguento antimonii tartratis bis indies abdomen. Tumore brevi subsidente, parum abfuit, quin convalesceret, cum morbus sine ulla causa evidente subito redit, mortem die quinto allaturus. Post morbum regressum, lateris sinistri, et epigastrii ex pressu dolorem, magno omnium tumorum incremento comitatum, conquesta est.

Secto cadavere, effusio levis sub arachnoide, et in cerebri ventriculis; fluidum in thoracis cavis reperiebatur. Pulmones, ob sanguinem congestum inusitate stabiles atque fusci, adhærebant.

Membrana stomachi mucosa, quæ maculis notabatur, atque intestinorum parvorum, augmenta in vasculorum numero exhibebat.

Nihil certum in hoc casu de morbi sede, aut mortis causa, afferre possum. Membranæ tamen mucosæ et serosæ multum esse implicitæ videntur. Epigastrii tensio, et ex pressu dolor, æque ac fluctuatio vix sensilis in abdomine, morbi sub initium percepta, ut credam peritonæum actione inflammatoria aliquatenus occupatum, atque effusionem in cavum ejus ex hac natam esse, perducunt. Ex lateris dolore, et adhæsione post mortem visa, pleuras inflammatas esse liquet. Vomitio et dejectiones alvi sanguineæ intime connexæ fuisse cum numero vasculorum in stomachi et intestinorum membranis mucosis aucto videntur.

Ex quinque ascite laborantibus unus ante febrem, unus inter febricitandum, et tres convalescentes in hunc morbum inciderunt. De casu primo, affectionem hydropicam, febri durante, neque auctam, neque minutam esse, et post sanguinem bis detractum paulatim subsedisse, pilula hydrargyri cum scilla et jalapa exhibita, bolo etiam calomelanos aliquando interposito, satis sit dicere.

Sanguis, priusquam æger ex conclavi in usum febricitantium seposito amoveretur, missus erat.

Mulier, vigesimum tertium annum agens, cui menses annos quatuor non fuerant, dum febricitaret ascite tentabatur. Die quarto post invasionem febris tertiam œdema dolorem afferens in pedibus ambobus notatum, quod crura versus iter suum velociter tetendit. Abdomen die sequenti intumuit atque doluit. Aliquid de tumore, qui die octavo multum minutus erat, cum in Nosocomium reciperetur perstitit. Fluctuatio quoque in abdomine percutendo percepta fuit. Urina, quantum sufficit naturæ, effluxit, et ex ardore coagulabatur. His conjungebatur diarrhœa, cui ex intestinis hæmorrhagia post septimanam succedebat; hæc dies tantum duos mansit. Die post admissionem octavo tumor abdominalis subito crescebat. Regio umbilicalis, femora, et crura pressuræ impatientia erant; atque diarrhœa cum oppressione, dyspnœa, tussi, et dolore pectoris sociata rediit. Postquam ægra in pulmonibus dies tres laboraverat, abdominis ex pressu dolor, tussi et oppressione multum levatis, subito subsidebat. Dolores tamen femorum et crurum in-

gravescebant; et paroxysmi atroces dyspnœæ, viribus deficientibus, nonnunquam contingebant. Dies ab admissione duodecimus ærumnis et vitæ finem imposuit. Hirudines abdomini admotæ. Sanguinis missiones modicæ præcipiebantur, et calomelas cum opio conjunctum.

Cadavere aperto, multum liquidi in abdomine; parum in cerebri ventriculis reperiebatur. Pulmones ambo undique adhærebant. Pleura costalis spissata et opaca, æque ac in plurimis locis pleura pulmonalis, in numero vasorum magnum augmentum receperat. Multum sanguinis floridi in inferiore parte pulmonis utriusque congestum. Jecur, membrana id ambiente maculas opacas exhibente, amplificatum et induratum est. Inflammatoriam fuisse hanc affectionem, cum ex signis, tum ex sectione cadaveris, patere puto; nam abdominis ex pressu dolor, effusio in cavum ejus, et maculæ in jecoris superficie opacæ, actionem vasorum peritonæi auctam indicare videntur. Tussis, et pectoris dolor, æque ac densatio, adhæsio, et numerus vasorum in pleuris auctus, thoracem inflammatum esse evincunt. Urina coagulata, quod Doctor Blackall hydropis inflammatorii

diagnosin esse putat *, nonnullis cur existimarent effusionem ex inflammatione, aut saltem ex actione vasorum membranæ serosæ aucta provenisse, satis rationis præberet.

An crurum œdema molestum, symptoma tam excrucians, ex actione vasorum texturæ cellulosæ aucta, ei, quæ in membranis serosis eveniebat, simili, non pependerit, quærere operæ pretium esset. Jecur amplificatum affectioni huic parum contulisse, ex ascite tam subito apparente, censeo. Casus ascitis tres, qui inter convalescendum contigerunt, subito incipiebant, et utrique adfuit epigastrii ex pressu dolor.

Casu primo affectio, anasarca generali stipante, in mulierem, annos triginta natam, quæ per aliquod tempus catamenia non demiserat, impetum fecit. In initio tussis lenis, et, morbo progrediente, signa inflammationem pectoris indicantia sese ostenderunt. Urina, primo in quantitate naturali reddita, ex ardore coagulata est. Postea quantitas ejus minuebatur. Ægra, posteaquam menses duos in Nosocomio manserat, perfecte re-

---

* Observations on the Nature and Cure of Dropsies, by J. Blackall, M. D. p. 266, 275.

stituebatur. Remedia plurima varieque eam afficientia adhibebantur, ideoque sanatio nulli particulariter attribui potest. Primo tamen tumores, dum usurparentur scilla et elaterium, subsederunt. Vesicatorium epigastrio admovebatur, et abdomen, ut minueretur actio vasorum peritonæi aucta, ex qua effusio hydropica præcipue pependisse putabatur, unguento antimonii tartratis illinebatur.

Casu secundo mulier in anno ætatis quadragesimo, quæ catamenia in annum proximum non demiserat, ascite cum pedum et crurum œdemate conjuncto tentata est. Urina, non ardore coagulanda, effluxit in quantitate naturali.

Tumores, remediis variis adhibitis, iis, quæ in exemplo præcedente præcipiebantur, similibus, paulatim subsederunt; at cum ægra ex Nosocomio dimitteretur non in toto evanuerant. Hirudines et vesicatoria epigastrio admovebantur, atque unguentum antimonii tartratis, ut in casu priore, ad actionem similem inflammatoriam vasorum peritonæi reducendam, usurpatum est *.

---

* Clinical Report on Dropsies, by J. Crampton, M. D. Transactions College of Physicians in Ireland, p. 261, 271.

Abdomen inter ægrotandum non semel resedit, iterumque paucis diebus subito intumuit.

Affectio, quæ consideranda superest, puero, annos septendecim nato, accidit, qui ex magni ulceris insalubris super sacrum irritatione hecticus erat cum in Nosocomium recipiebatur. Commoratus septimanas tres impetum pulmonarium sustinuit, qui detractioni sanguinis topicæ, lichenis islandici decocto, et cæteris cedebat. Inde, sanitate promota, ulcus super dorsum sanatum; at, valetudine in pejus ruente, cito aperiebatur. Sub hoc tempus tussis redibat, et magnum ex epigastrio presso dolorem, cujus vestigiis institit ascites, conquerebatur. Paucos ante mortem dies, quasi hæmorrhagia defatigatus, miris modis palluit. Urina, valde rubra et parca, ex ardore non coagulabatur.

Præcipue adhibebantur in initio tonica, et, superveniente ascite, sanguinis detractio modica; denique, plurima antihydropica, qualia, scilla, calomelas, jalapa, elaterium, gambogia.

Abdominis paracentesi, cum morbus ad stadium ultimum festinaret, celebrata, fluidum ad congium et semissem eductum est. Septimo abhinc die abdomen æque ac antea intumebat.

Effusio levis super cerebri superficiem, et in ventriculis, cadavere aperto, reperiebatur; sanguinis placenta tenuis arachnoidi interne incubuit. Pulmo dexter quaquaversum adhaerebat, dum sinister, aliquanto minutus, pleuris ejus asperis, opacis, et densatis, arcte pericardio necteretur. Cavum pectoris sinistrum fluidi uncias sexdecim, abdomen congios liquidi sanguinei duos, et duo magna sanguinis coagula tenuit. Hæc in utroque latere, pro colo, et parietum atque intestinorum peritoneo adhaerentia, jacuere. Peritonæum densatum, atque in locis nonnullis opacum, tuberculis parvis confertum est, quorum multa ulcerata et mollia erant, et ima parte quoad numerum vasorum aucta videbantur. Cum his etiam coagula parva sanguinis jungebantur. Nonnullis horum ruptis attribuendam esse magnam sanguinis quantitatem in cavum abdominis effusam verisimile est. Intestina densata erant et mollia. Colon, duodenum, vesica fellea, et finis stomachi pylorica in massam unam concrescebant. Jecus durum et firmum erat. In hoc casu pectoris atque abdominis membranæ inflammatione obsidebantur; et effusionem hydropicam in hoc, æque ac in plurimis antea memoratis exemplis, ex actione vasorum

pæritonei aucta pependisse, putare proclivis sum. Amplificatio jecoris ascitem tam subito exortum produxisse non potuit. Sanguis in abdomen effusus, cur æger ante mortem tam dealbatus sit, causam explicat.

Ex decem crurum œdemate laborantibus unus, febri durante, et novem convalescentes in hunc morbum inciderunt. Septem in casibus urina, teste calore, non coagulata est. In plurimis quantitas naturalis effluxit. Unus diarrhœa affectus erat, et ab ea multum fatigatus. Vexatis hoc crurum œdemate non semel, cum febris obtinuisset, sanguis detractus erat: at de his casibus tantum, qui ob oculos meos obvenerunt, loquor; nam Doctor Cheyne, cujus testimonium hic, et in omni cum praxi conjuncto fidei dignissimum est, se, hos ægros, qui febricitantes sanguinem non amiserant, œdemate crurum postea correptos, sæpissime vidisse, affirmat. Hoc, eo, quod nonnulli crurum œdema viribus sanguine antea detracto imminutis præcipue attribuendum putant, memorare magis inducor. Hic morbus nulli hydropis speciei aliæ conjunctus, semper mitis fuit, atque facilis victu. Supertartras potassæ cum jalapa, scilla, pilula hydrargyri, et gambogia, præ-

cipue, et nunquam non bono eventu, adhibebatur. Casibus paucis fasciæ crura circumvolventes, et fricationes utiles videbantur; at raro vinum, aut aliud stimulans præbere, ne vires deficiant, necesse erat.

In hoc loco formam morbi singularem, quæ, quia febrem aliquando sequitur, studium maxime meretur, non in mente fuit præterire. Hæc affectio phlegmatiam dolentem puerperarum multimodis referebat; at in hoc interfuit, quod tam sæpe in maribus, quam in fœminis occurrebat, et in his ex graviditate non pendebat. Tumore dolentissimo, tactus impatiente, tenso, nitente, resultante, cuti concolore, denotabatur. Hic in parte pedis superiore oriens crus versus et femur iter suum cito tetendit. Inguinis regio plerumque plena, atque tactui tenera, turgebat; dum membrum implicitum plus quam alterum caluit. Febris, membro magnopere calefacto et tenso, ubique adfuit, quæ plerumque non nisi scalpello cedebat. Regio hypogastrica, aut lumbaris, ut in phlegmatia dolente puerperarum, nunquam intumebat. Antiphlogistica in hac affectione tractanda præcipue adhibebantur. Membri tumor atque tensio, hirudinibus inguini admotis, sæpe reduceban

tur, et morbus lenibus catharticis, diaphoreticis, summaque quiete expulsus, paulatim recedebat. Casu uno dolor et irritatio generalis adeo ingravescebant, ut diaphoreticis opiata conjungere necesse esset.

Quando membrum post mortem perscrutari nunquam mihi fuit occasio, de natura affectionis, ex qua pependit œdema, nequid certum afferre possum. Ex signis tamen videtur, augmentum actionis magnum, quod effusio in texturam cellularem sequebatur, in vasis membri evenisse; at effusionem hydropicam ex actione vasorum membranæ serosæ aucta sæpenumero pendere supra demonstratum. Membrana serosa, secundum Bichat, spissata textura cellularis est *; et similia ex similibus affectionibus in locis paribus ortura analogia colligeremus. Inguinis tumor et teneritas, aliquam in systemate lymphatico affectionem, quam phlegmatiæ dolentis præcipuam esse causam Dominus White putat, indicare videntur †. Attamen Doctor Hull phlegmatiam dolentem ex texturæ membri cellulosæ inflammatione maxime

* Traité des Membranes, p. 90.

† White on Phlegmatia Dolens.

oriri affirmat*. Hæc ergo inflammatio, cum glandibus inguinis communicata, cur orirentur ejus plenitudo et teneritas, satis rationis præberet. Inguinis affectionem, ex eo, quod hirudines summoverunt, inflammatoriam fuisse patet.

Affectiones hydropicas, quæ locum febris occupaverant, inter convalescendum plerumque incepisse, et quandocunque effusio in cavum ullius momenti fieret, actionem aliquatenus adauctam in membrana hocce cavum ambiente eam præcipue peperisse, ex iis, quæ antea memoravi, constat. Causa morbi, cum effusio in texturam cellularem, crurum œdema tantum inducens, fieret, potius incerta est. Obstructio pulmonaria, cur affectio hydropica nasceretur, tametsi non præcipua, at certe e causis fuisse videtur. Obstructio in visceribus abdominalibus ex scirrho, aut congestione orta, etsi sæpissime hydropem parit, casibus præcedentibus non tantum morbum non genuit, sed etiam non comparuit.

Urinam ardore aliquando coagulatam, crebrius non, ex ratione præcedente quoque patet. Signa inflammatoria casibus, in quibus urina coagulata

* Hull on Phlegmatia Dolens, p. 213.

est, et interdum aliis extiterant. Hoc igitur, et Doctoris Blackall judicium, qui urinam in hydrope inflammatorio quantitatem albuminis ardore coagulandi plerumque tenere affirmat, toto cœlo inter se discrepant.

Signa actionis auctæ, vel in thoracis, vel abdominis cavo, cum effusio in hæc facta sit, febri durante, plerumque sese ostenderant. Pars semel inflammata, si causæ stimulanti postea exponatur, flammam cito iterum corripiet; similiterque actionem adauctam, quæ in membranis thoracis et abdominis serosis eveniebat, has, ad eundem morbum, eadem causa iterum applicata, suscipiendum, pronas fecisse, censeo. Fortasse quæratur, quando augmentum actionis tantum inter febrem, quantum inter convalescentiam, sæpe fuisset, cur effusio in uno, quam in altero casu rarius sequeretur. Ut huic respondeatur, incitationem habitus generalem, febrem, in qua sunt aliquam partem versus derivationes, plerumque sequi, in mentem revocandum. Hæc incitatio topicæ affectionis violentiæ sæpe respondet, et systema pro ambarum intentione crisi morbum solvere nitetur. Perspiratio larga atque universa, modorum variorum, quibus crisis eveniat, frequentissimus, et,

quocunque febris generalis cum derivationibus aliquam partem versus connectitur, longe efficacissimus est. Expectoratio libera atque abundans, pectore affecto, aut diarrhœa superveniens, si viscera abdominalia ex inflammatione laborent, morbum crebro summovebit. Ita affectio, febri durante, ad finem absque effusione perveniat; at inter convalescendum, quamvis actio in membranis serosis augeatur, incitatio tamen generalis eam in aliqua parte obtinentem minime comitatur, ideoque systema totum ad morbum ejiciendum vires suas non convocat. Morbus, limitibus suis circumscriptis, aut omnino desinit, aut exhalatione ex membranæ superficie aucta partim resolvitur.

Constat ergo, actionis in membranis, febri durante, augmentum, semper minitari, et tractatione strenua, ut submoveatur, opus esse. Remedia prompta et valida, in initio hujusce affectionis adhibita, non tantum proxima, sed etiam remota consequentia prævenient; et effusio hydropica, utpote frequentissime eveniens, maxime timeri debet. Sanguinis detractio, vel generalis, vel topica, ad actionem hanc reducendam maxime valet; at quantitas, aut iterum detrahendi necessi-

tas pro circumstantibus solum decernatur. Recordandum, tamen, quod, si nimis sanguinis exhauriatur, vires fortasse deficiant, et morbi, qui ex debilitate pendent, sequantur.

An huic causæ crurum œdema in nonnullis casibus praecedentibus attribui possit dubium est; tamen œdema crurum, periculo magno affectiones cæteras comitante, semper mite fuit, atque facile submotu.

DE SEQUELIS RHEUMATICIS.

Ex octodecim rheumatismo vexatis octo febricitantes, et decem convalescentes in hunc morbum inciderunt.

Affectiones casibus undecim generales fuere, atque in his articuli majores maxime fuisse impliciti videntur. Cæteræ, duabus, de quibus nunc dicam, demptis, in coxendice sola obtinuerunt.

Affectio, de qua primo dicemus, hominem in anno ætatis trigesimo sexto, sex dies convalescentem, corripuit, et dorsi dolore gravi, ad spinæ

duas partes relato, quarum altera loco vertebræ dorsalis septimæ, altera loco primæ lumbaris respondebat, denotata est. Motus, pressura externa, etiamque inspiratio plena hunc dolorem augebant; præterea æger, cum sese vertere in lecto conaretur, dolorem in regionibus dextris hypochondriacis et epigastricis sensit, qui quoque pressu et inspiratione plena ingravescebat. Corpus maculas quam plurimas, cupro colorem similes, exhibuit; et ægrum sex annos antea ex syphilide laboravisse compertum est. Quando natura affectionis hujusce potius venerea videbatur, grana quinque pilulæ hydrargyri nocte, et catharticum amarum aliquando mane exhibebantur. Dolores, gingivis affectis, minuebantur; at morbus, nonnisi post febris impetum levem, quam vertigo praecessit, et secuti sunt dolores generales, omnino evanuit. Latus pectoris sinistrum inter ægrotandum dolore, quem neque pressura, neque inspiratio plena auxit, afficiebatur. Hic et tussis eum comitans vesicatorio submovebantur. Maculæ, cur affectionem veneream putarem, causa præcipua fuere. An dolor dorsi rheumaticus, aut syphiliticus fuisset, aliis dijudicare relinquam; at rheumatismum in aliqua parte obtinentem febris

impetu generali eradicatum fuisse potius est insigne. HIPPOCRATEM, naturæ ministrum et interpretem, minime latebat vis, quæ ad morbum alium solvendum aliquando febri est, cum dicit: " Ὑπὸ " σπασμοῦ ἢ τετάνου ἐνοχλουμένῳ πυρετὸς ἐπιγενόμενος, " λύει τὸ νουσημα *."

Affectio, quam proximam notabo, hominem, quem tum capitis, tum dolores generales, et stomachi ægritudo inter febricitandum anxerant, anno ætatis trigesimo cepit, atque brachii sinistri dolorem, ab humero usque ad cubitum tendentem, manusque sinistræ paralysin, indicia habuit. Brachii dolor crisi sudoribus factae institit; paralysis mane sequenti. Vesicatorium brachio admovebatur, et pilulæ, ex calomelane cum pulvere antimoniali, guaiaco, et opio compositæ, adhibebantur. Die, post admissionem, secundo, brachium dolere desiit, et facultas digitos movendi rediit. Exitum tamen hujusce casus, ægro manere in Nosocomio recusante, ignoramus.

Casu tertio coxæ sinistræ dolor, ad genu, interdumque ad talum tendens, mulierem, annos viginti et sex natam, a febre convalescentem, præcipua

---

* Hipp. Sect. iv. Aph. 57.

cujus indicia fuerant dorsi, et dolores generales cum cordis oppressione, corripuit. Dolor, ore calomelane affecto, statim remittebat, et paucos post dies ægra sanitati restituebatur. Tumor ærumnosus, coxendicis dolore submoto, in inguine sinistro exortus, absque ullo remedio cito subsedit.

Casu quarto vir in anno ætatis quadragesimo quarto, cui antea febricitanti, propter pectoris affectionem, sanguis detractus, et vesicatorium adhibitum fuerat, dolore ab ischii dextri tuberositate ad femoris dextri tronchanterem majorem, indeque per femoris partem posteriorem ad poplitem tendente, prehendebatur. Hic dolor pressu, aut in lecto vertendo, augebatur. Æger supinus tantum, aut in latus sinistrum cubare poterat, neque ambulare absque auxilio valebat. Dolor, coxæ hirudines viginti admovendo, et catharticum adhibendo, fugatur. Catharticum, alvo potius adstricta, repetitur, et bolus ex submuriatis hydrargyri granis quinque cum decem pulveris ipecacuanhæ compositi hora decubitus aliquando exhibetur. Æger, ita tractatus, paulatim valentior fit, et die, post admissionem, decimo, sanus ac integer a Nosocomio evadit. Hic casus, virium, quas detractio sanguinis topica ad morbum ærum-

nosum et pertinacissimum expugnandum habet, exemplum est insigne.

Ischias nervosa virum, annos viginti et sex natum, invasit, doloreque in coxa sinistra fixo, absque tumore, aut coloris mutatione, primum denotata est. Dolor motu vel pressura ingravescebat; morbo progrediente, minus constans fiebat, et ægrum in paroxysmis cruciatu immani afflixit. Hirudines, vesicatoria, multaque alia remedia in auxilium nequicquam vocabantur; et miser plusquam menses duos, antequam symptomata remittebant, in Nosocomio mansit. Quo tempore hæc minui cœperunt, extractum stramonii cum aloë et opio sumebat; hisque remediis non intermissis, paulatim ad sanitatem rediit.

Liquorem arsenicalem in hoc casu expertum nihil boni attulisse notatu dignum est. "It is only in "the protracted chronic rheumatism," inquit Doctor BARDSLEY, "where the vital powers are much "diminished, and the bony cartilages and system "likewise partially affected, that the use of arse-"nic is likely to prove eminently successful *."

Ex casibus undecim affectionis rheumaticæ ge-

* Bardsley's Medical Reports, p. 32.

neralis septem inter febrem, et quatuor inter convalescentiam inceperunt.

An hæ affectiones rheumaticæ recte appellentur dubium esse minime ignoro. Dolorum, qui febrem aliquando præcedunt, eam progredientem comitantur, et post ejus abitum perstant, non adhuc accurate cognita est natura. Hi, autem, et rheumatismus, vel chronicus, vel acutus, alii vulgo censentur. Contra, tamen, hæc habet Doctor BARDSLEY: " I mean to include under the " term chronic rheumatism, such painful affec- " tions of the muscular fibres, membranes, and " joints, as are unattended with fever, specific vi- " rus, or peculiar derangement of the stomach " and bowels, and which are seldom accompanied " with external tumour or inflammation, but are " very liable to shift suddenly from one part to " another, and are readily propagated along the " course of the membranes and muscular fibres*." Huicce definitioni affectiones nunc recensendae quam plurimum respondent, ideoque eas rheumaticas appellavi.

Exemplo uno morbus cum crurum œdemate

* Bardsley's Medical Reports, p. 3.

conjungebatur, altero cum dyspepsia, tertio cum signis hysteriæ irregularis. Quod ad casum hunc attinet, mulier, annos viginti nata, quæ catamenia in annum proximum non demiserat, ex doloribus generalibus, et extremitatis inferioris sinistræ rigiditate laborans, crure etiam sinistro super femur contracto, in Nosocomium recepta fuit. His super utrumque supercilium dolor acutus, totius capitis teneritas, quasi capilli vellerentur, palpitationes crebræ, et interdum sensus globi a ventriculo usque ad guttur assurgentis, successerunt. Extractum hyosciami cum aloë et camphora primo præscriptum, dolore capitis eveniente, pro catharticis mutatum est. Hirudines octo, dolore capitis post septimanam parum minuto, pone aures admovebantur, ægræque tincturæ assafœtidæ guttæ viginti quinque cum quindecim spiritus ammoniæ aromatici quarta quaque hora porrigebantur. Sub hac tractatione dolor capitis evanuit; at cito rediens, membrorum dolore, præcordiorum oppressione, aliisque indiciis febrilibus, sociabatur. Emeticum, vesicatorium nuchæ, et alterum post tres dies vertici admotum, capitis dolorem parum summovebant. Pilula, calomelanos fere grana duo,

et grani opii dimidium tenens, quarta quaque hora exhibetur. Capitis dolor, ore leviter affecto, minutus, saliva profluente, evanescit, et sanitas brevi restituitur. Cur suspicaremur labem syphiliticam huic ægræ inesse aliqua causa nobis fuit, et hydrargyri eventus bonus hanc suspicionem confirmare videtur. Attamen aliis casibus, in quibus hæc suspicio incidere non potuit, hydrargyrus nos non fallebat. Nescio, equidem, annon dolores, ptyalismo instituto, semper desiverint.

Ægra, ex doloribus generalibus cum dyspepsia laborans, hujus ante febrem, illorum inter convalescentiam impetum sustinuit. Dolores, ore calomelane cum opio leviter exulcerato, desierunt; at vomitiones mane frequentes, stomachi solicitudo, lingua fœda et anorexia, dyspepsiam perstitisse denotaverunt. Hæc, rhei et cascarillæ infusis non cedentia, pilulis ex soda arida et gummi ammoniaco confectis brevi opprimuntur.

Pulsus, doloribus generalibus cum nullo alio malo complicatis, plerumque naturales fuerunt, neque aliæ functiones multum turbatæ. Articuli majores præcipue occupabantur, et ægris raro decumbebatur. Cum pulsus accelerati doloribus adjicerentur, (quod post crisin imper-

fectam nonnunquam contigit,) morbus, quasi febris lenta, tractabatur. Venæsectio in his casibus, sudores largos sæpe inducens, ita morbum finiit. Aliis exemplis, in quibus signa levia febrilia obtinuerunt, circiter grana duo pulveris antimonialis cum rhei quinque quartis horis exhibita, dolores, aut ex toto summovebant, aut saltem minuebant; et cinchona, adjecto paululo antimonii tartratis, sanatio postea perficiebatur. Si, tamen, dolores his repugnarent, compositio ex pulvere antimoniali, calomelane et opio, eos certe vincebat.

Casu uno genua multum tumefacta ex pressura dolebant. Hic tumor impetui, quem in ægram febre irretitam fecerant dolores generales, successit. Hirudines, linimentum hydrargyri, vesicatoria, et unguentum antimonii tartratis cum cinchona intra adsumpta, adhibebantur. Affectio autem lenta erat, et nonnisi, postquam ægra menses duos in Nosocomio manserat, paulatim subsidebat.

Quamvis exemplum hujusmodi observandi hæc mihi fuisset unica occasio, plurimi in ædium aliis partibus occupati, inflammationem membranarum

synovialium in effusionem desinentem febris vestigiis non raro institisse, affirmant.

"Whatever causes induce debility," inquit Doctor SCUDAMORE, "either general or partial, in the "tendinous, ligamentous, or nervous structure, "become predisposing to chronic rheumatism, "and thus a continued fever in the general weak-"ness it produces is sometimes an introductory "source *."

Hanc opinionem casibus rheumatismi plurimis obtinere non dubito. Attamen in plerisque affectionibus præcedentibus, quamvis debilitas generalis morbum semel institutum traheret, ortum ejus causæ multum diversæ attribuere animo proclivis sum. De casibus, quos memoravi, plurimi inter febricitandum, nonnulli inter convalescendum evenerunt, et ægri, qui convalescentes rheumatismo irretiebantur, ex doloribus generalibus, febri durante, laboraverant. Hi dolores cum incitationis inflammatoriæ signis semper plus minus complicati sunt. Remedia, ad eos summovendos efficacissima, antiphlogistica fuere, atque in his

* Treatise on the Nature and Cure of Gout and Rheumatism, by C. Scudamore, M. D. p. 529.

maxime venæsectio. Has affectiones, ergo, quæ, febri durante, inceperunt, ex eo, quod actio adaucta systema totum tunc temporis permeans membranas versus, quæ sedes sunt inflammationis rheumaticæ, iter suum tetendit, ortas esse puto. Hæc inflammatio, crisi fortasse minuta, non in toto reducebatur, itaque sequelas, de quibus nunc dicimus, serebat. In casibus autem post febrem evenientibus, ægros ad actionem inflammatoriam suscipiendam, febri durante, pronos esse factos, consentaneum est. Proclivitas hæcce semel acquisita causis multis, quibus convalescentes obnoxii sunt, facile excitaretur. Quæcunque causæ, ergo, in tendinum, ligamentorum, aut nervorum structura, actionem adauctam, (ut mihi videtur,) potius quam debilitatem, aut generalem, aut ex parte inducunt, propensionem ad rheumatismum chronicum serunt, itaque febris continua, excitationem, potius quam debilitatem generalem pariendo, fons fit aliquando primarius. Si explicatio hujusmodi accipiatur, remedia ad actionem inflammatoriam reducendam efficacissima, in febre tractanda, adeo ut sequelis ejus rheumaticis præveniatur, maxime adhibenda, sequitur. Huic optime convenit venæsectio. Hoc remedium lau-

dare, non tam ratione contemplativa, quam virtutem ejus sæpissime experiendo, inducor. At detractioni sanguinis sui sunt limites. Si æger, febri ineunte, validus est, præsertim si signa incitationis magnæ dolores generales comitantur, nullum certe aliud remedium, quod tam citum auxilium affert, aut tam subito morbum solvit, mihi cognoscitur. Inflammatione, quæ in texturis variis extiterat, reducta, affectio rheumatica non tantum in præsens opprimitur, sed æger, propensione ad actionem inflammatoriam posthac suscipiendam ita impedita, morbi regressui, dum convalescit, minus obnoxius redditur.

DE SEQUELIS DYSENTERICIS.

Consideratione trium affectionum præcipuarum febris locum occupantium jam absoluta, me, dysenteriæ, quæ, quia tam sæpe evenerit, cladem que tam crudelem ediderit, studium accuratissimum meretur, rationem amplam initurum fortasse expectetur; at dissertatio hujusmodi molem argumenti tam lati, tam difficilis, tantique mo-

menti, non sustinebit, ideoque tantum observationes paucissimas de hoc morbo, ut cum febre connexo, offeram.

Dysenteria, ut febris sequela, ineunte Septembri, primum medicorum oculos in se convertit, et sub anni finem epidemici naturam induit. Hoc tempore casus plerique ob oculos meos versati febri successerant; nonnulli, tamen, ab ea immunes fuerunt, et forsan se sæpius ostendissent, nisi eos tantum, qui conclavia febricitantibus assignata occupaverant, in Nosocomium Whitworth recipere mandatum esset. Dysenteria quidem tempestati propria fuit, et etiam, febri non existente, multum valuisset.

Plurimi ex dysenteria post febrem laborantes hoc morbo inter convalescentiam corripiebantur. Signa dysenterica inter febricitandum raro comparuerunt, et in his casibus febris, diem unum aut alterum perstans, paulatim subsidebat, et quasi in morbum alium convertebatur. Intestinorum tegminis mucosi inflammationem causam morbi proximam fuisse, (quicquid fuerit causa remota,) cum ex signis, tum ex indiciis post mortem exhibitis, patuit. Ægri habitum, diætam antea usurpatam, et febris præeuntis effectum, inter causas ad hanc

affectionem prædisponentes, recensere propendeo. Quod ad habitum pertinet, ægri plerique debilitate confecti, et multum in annis provecti, organa, quæ concoctioni inserviunt, plus minus turbata habuerunt. Ex his, et penu malo, quo pauperes plerumque suppeditantur, cibi assimilatio inconfecta, et secretionum in canalem alimentarium effusarum conditio vitiata orirentur. Talia intestinorum tegmini mucoso applicata, si non inflammationem, at saltem ad eam propensionem parirent.

Propensio hæc causis multis, scilicet, frigore, humore, præsertimque statu aëris peculiari, ad agendum vocaretur. Systema biliosum in ægris nonnullis turbari visum est, et vinculum, quod inter intestinorum atque hepatis perturbationem intercedit, omni tyroni pernotum; at inter omnes causas ad dysenteriam disponentes febris hoc loco sibi maximam attentionem vendicat. Anni millesimi octingentesimi et duodevigesimi autumno non tantum capitis, et dolores generales, sed etiam aliquando organorum, quæ concoctioni inserviunt, perturbatio maxima, febrem comitabantur. Lingua fœda, sapor in ore pravus, nausea, vomitus, et epigastrii ex pressu dolor, præcipua fuerunt symptomata, cum quibus habitus incita-

tio summa plerumque sociabatur. Hæmorrhagia ex intestinis interdum febri crisin induxit, malo nullo postea perstante ; interdum dejectiones alvi sanguineæ dysenteriæ fundamentum posuere. Incitationem, ergo, systematis generalem, iter suum intestina versus tendentem, dysenteriæ, quæ febri durante, incipiebat, præcipuam fuisse causam, verisimile est. Cum dysenteria inter convalescendum evenerit, intestinorum membrana mucosa, febri durante, propensionem inflammatoriam comparavisset. Hæc, quibusdam causis admotis, quibus convalescentes autumno valde obnoxii sunt, ad agendum incitaretur. Quando, ergo, dysenteriæ natura inflammatoria est, et ex actione aucta febricitantis systema permeante non raro pendere videtur, antiphlogistica in febris tractatione, quæ huic sequelæ præveniendum versus spectat, præcipue adhibenda, sequitur. Derivatio intestina versus, cum, febri durante, eveniat, periculum magnum afferens, medici attentionem statim deposcit. Non tantum experientia mea, sed etiam scriptorum clarissimorum de medicina testimonium securum me præstat, cum dicam, sanguinis detractionem in hac specie febris efficacissimam esse. Sydenham dicit diarrhœam, quæ febres hu-

jusmodi comitatur, sæpissime a radiis inflammatoriis per arterias mesentericas in intestina delatis, atque eadem ad exscreationem solicitantibus exoriri, nihilque huic profluvio sistendo æque conducere, atque venæsectionem, et sanguinis contemperationem, aqua hordei, sero lactis, atque aliis procurandam *. In ea febris specie, quæ sanguinis vomitione vel ex intestinis hæmorrhagia stipatur, PORTAL inquit: "Qu'il convenait de diminuer la quantité de sang par une saignée du bras †." Doctor CHEYNE quoque sententiam similem et praxi et scriptis suis inculcat ‡. Doctor GREGORY, ad diarrhœam summovendam, quæ rubeolam aliquando comitans ex intestina versus derivatione plane oritur, nihil æque valere, ac sanguinis detractionem, affirmat §.

Præter affectiones jam dictas, quæ febris sequelas certe præcipuas constituerunt, aliæ, rarius eve-

---

* Sydenham Opera Universa, § iii, cap. iii.

† Portal sur la Nature et sur le Traitement du Melæna, Obs. vi.

‡ Dr Cheyne on Fever, Dublin Hospital Reports, vol. i, p. 31, 32, 40.

§ In Praelectionibus de Medicina Practica.

nientes, tamen aliquid attentionis merentur. Pleræque sub capitibus duobus, scilicet, cerebri, aut generis nervosi, et organorum, quæ concoctioni inserviunt, seu canalis alimentarii, perturbatione, numerari possunt. Nonnullas his capitibus alienas seorsim considerabo.

DE SEQUELIS NERVOSIS.

Sub capite, cerebri, aut generis nervosi, perturbatione, cephalitidem, maniam, paralysin, amaurosim, dysecæam, urinæ incontinentiam, aphoniam, et hysteriam recenseo.

Cephalitis puellam, octodecim annos natam, corripuit, et capitis acri dolore, oculis inflammatis, lucis intolerantia, atque pervigilio denotata est. His paraplegia lenis cum tussi crebra et brevi, dolorem lateris movente, conjungebatur. Febris, caput et pectus præcipue occupans, hanc affectionem præcessit. Ab hemiplegia, febri succedente, ægra dies paucos convaluerat, cum in Nosocomium reciperetur.

Vertice fonticulus, mercurialia, et nuchæ sca-

rificatio, primo usurpabantur. Capitis dolor scarificatione minutus, gingivis hydrargyro affectis, fere evanuit; at decimo posthac die rediens, cum vertigine, lingua fœda, aliisque febris indiciis, sociabatur. Iterum, tamen, post sudores decrescebat. Sub hoc tempus lateris dolor adeo ingravescebat, ut inspirari plene non posset, tumorque durus atque excrucians in dextri cruris parte externa observabatur. Ille hirudinibus summovetur; at hic, mole et dolore auctis, magnum quoque caloris incrementum accipit. Ægra, denique, hirudinibus et vesicatoriis irritis, ad Nosocomium chirurgicum transfertur.

Affectiones maniacæ febrem non raro sequi solebant. Harum duæ fuerunt species, violenta nimirum, et mitis. Hæc in fœminis; illa in viris plerumque obtinuit. Febribus, in quibus caput plus minus implicitum est, affectiones hujusmodi sæpissime successerunt. Casibus quibusdam ægri ad summam excitationem maniacam sublati, et dies tres aut duos ita perstantes, desipere ante febrem victam desierunt. Aliquando, tamen, eorum conditio febris abitu minime mutata est. Quidam infelices animis in æternum capti videntur. De harum affectionum tractatione non mul-

tum proferre possum, quippe cum nulli ex mania laborantes in Nosocomium Whitworth reciperentur. At in paroxysmis summæ excitationis maniacæ affusionem frigidam, non tantum ad ægros sedandos, sed ad sudores movendos, indeque ad morbum solvendum, magnopere profuisse, compertum habeo. Arteria temporalis fructu cum maximo aliquando incidebatur, et vesicatorium nuchæ admotum somnos interdum attulit. Morbus coërcitione semper ingravescebat. Quantum, ergo, libertatis, ægrorum salutem, illorumque eos servantium in angustias non duceret, semper et felicissime concedebatur. Cum morbi species mitis fuit, ægris puerilibus, atque fatuis, opiata, vinum, et diæta nutriens, utilissima comperiebantur. Capitis affectio insignis, quæ febri præeunti nunquam non adfuit, impetum sanguinis in cerebro adauctum structuræ hujus organi aliquatenus læsisse, itaque morbum peperisse, ut credam, inducit.

Paralysis non sæpe evenit, quamvis ex systemate cerebrali inter febricitandum toties deturbato aliter expectatum esset. Hujusce dissertationis parte priore quasdam species affectionis paralyticæ cum aliis conjunctas interdum perstrinxi.

Hæ rheumaticæ plerumque fuerunt. Paralysis, equidem, ex alicujus nervi læsione, potiusquam perturbatione cerebri generali, pependisse videtur. Casus, in quo paraplegia virium jacturæ in brachiis ambobus jungebatur, omnium ob oculos meos versantium, notatu dignissimus est. Caput in febri præcedente præcipue doluerat. Vertici fonticulus, et hoc exarefacto, setaceum collo adhibebatur. Æger, post multas septimanas lapsas, sanitati paulatim restituebatur. Paralysis, cum in hoc casu, tum in eo, quo affectio cephalitica antea memorata obtinuerat, ex actione vasorum cerebri inter febricitandum aucta provenisse videtur. Doctor Cheyne, functio enim cerebri, dum æger in Nosocomio manebat, minime imminuta est, morbum in parte medullæ spinalis superiore præcipue extitisse putavit.

Mulier, amaurosi et dysecæa affecta, annos viginti et unum degerat. Surditas post febrem inceptam, ex qua caput potissimum laboraverat, statim exorta est. Cæcitas in eam convalescentem inter noctis spatium incidit. Capiti vesicatorium admovebatur, et grana quinque pilulæ hydrargyri nocte adsumi jubebantur. Ægra, die, post vesicatorium admotum, proximo, et videndi

et audiendi facultatem fere in totum recuperavit; at febri recurrente iterum correpta, ad conclavia in usum febricitantium seposita redibat. Facultas, cum videndi, tum audiendi, ex impetu febris altero restituta est. Hæc, æque ac affectio proximum memorata, ex actione vasorum cerebri aucta orta esse videtur.

Mulier, cujus menses in annum non fluxerant, urinæ incontinentia, et lumborum dolore, in anno ætatis vigesimo secundo, correpta est. Incontinentia post dysuriam, febri durante, incepit. Hic morbus, et affectio levis dyspeptica eum comitans, pilulis paucis catharticis tantum adhibitis, nonnullos post dies evanescebant.

De morbi fonte in hoc casu, minime enim cognitum est quomodo ægra sese habuerit febricitans, impensius instare non possum. Vesicæ, tamen, colli paralysis, ex distentione immodica oriens, morbum facile pariret; et hoc in febribus violentis, quibus sensorium magnopere turbatum est, et urinam cathetere exhaurire non satis curatum, non raro accidit.

Aphonia, inter convalescentiam oriens, exitum secundum sine ullo remedio cito habuit; eamque nervis, qui loquendi organa suppeditant, læsis at-

tribuendam putans, sub capite, cerebri, aut generis nervosi, perturbatione, locavi.

Hysteria casibus duobus ante febrem extiterat, et in altero inter febricitandum, in altero inter convalescendum, paucos post menses, rediit. Priori epilepsia jungebatur. Hoc autem posito, morbos hos duos adeo fuisse nexos, ut causa unum excitans, alium etiam excitare valuisset, excitationem febris generalem, cerebrum versus progressam, eorum reditum genituram esse, facile concipiamus.

De connexione inter affectionem posteriorem, quam nullum cerebri turbati signum comitabatur, et febrem præeuntem, nequid proferre possum.

Quamplurimas affectiones præcedentes derivationi cerebrum versus auctæ, quæ, febri durante, evenit, attribuendas, ex ratione præeunte liquet. Clare ergo sequitur, sanguinem febricitantibus detractum, quorum cerebrum versus derivatio fit, non tantum symptomata imminentia submoturam, sed etiam, quo minus morbus postea formetur, impedituram; at venæsectionis, vel generalis, vel topicæ, utilitati, in ea febris specie, quam signa actionis in cerebro auctæ comitantur, ulterius insistere, quando id universe conceditur, supervacaneum esset.

DE SEQUELIS ORGANORUM CONCOCTIONIS.

Sub capite, organorum, quæ concoctioni inserviunt, aut canalis alimentarii, perturbatione, icterum, hæmatemesin, melænam, typanitem, et dyspepsiam, loco.

Icterus ægrum die post febris invasionem quarto corripuit, et, ea submota, perstans, rhei et gentianæ infusis, paululo sulphatis potassæ adjecto, paulatim cedebat. Quamvis icterus in hoc casu solo febri superstes fuisset, plurimi, tamen, febricitantes in cute et oculis flavescere æstate notabantur. Hæc flavedo, ea icterum verum comitante, pallidior plerumque fuit, et, ægro convalescere incipiente, semper evanuit. Coloris naturalis reditus valetudinis redeuntis signum certissimum semper præbuit. Coloris mutatio aliquando valde repentina fuit, paucis temporis momentis, ut nutrix refert, interdum eveniens. Egomet ægrum mane flavum vidi, quem tali colore omnino immunem, vespere præcedente reliqueram.

Symptoma hoc exitum malum plerumque præ-

sagire putabatur, et eventui ejus subitaneo periculum fere semper respondebat. Quamplurimos hos casus ex bile congesta et absorpta, atque hoc iterum ex aliqua cerebri affectione pependisse, censet Doctor CHEYNE *.

Hæmatemesis mulierem, annos viginti duos natam, ab impetu febris tertio convalescentem, invasit ; atque stomachi solicitudine assidua, hypochondrii dextri, et epigastrii ex pressu dolore, interdumque syncope, comitata est.

Capitis, epigastrii, doloresque generales, febrium præcedentium præcipua fuerunt symptomata. Morbus, multis variisque remediis frustra exhibitis, tandem post catamenia exorta, quæ menses septem suppressa erant, cedere videbatur. Hoc tempore impetus pyrosis frequentes, et interdum cibi vomitio, locum vomitionis sanguinis usurpabant ; at brevi paulatim subsidebant. Nutricis munus, ægræ nunc convalescenti commissum, restituendæ ejus valetudini haud parum contulisse videtur.

Fœminæ, anno ætatis vigesimo quarto, et die convalescentiæ sexto, incidit melæna. Sanguis

---

* Dr Cheyne on Fever, Dublin Hospital Reports, vol. ii, p. 68.

ex alvo large effluens eam magnopere debilitaverat. Solutio ex sulphate magnesiæ in infuso rosarum cum acido sulphurico diluto, et interdum opiatis, adhibita est. Ægra, signis huic tractationi paulatim cedentibus, et sanguinis demissione repressa, inter salutem recuperandum, pectoris dolore, dyspnœa, et tussi, subito corripiebatur: hæc, autem, scalpello statim opprimuntur, subitque festinanter sanitas.

In mulieribus, ex amenorrhœa aliquos menses laborantibus, obtinuerunt tympanites et dyspepsia. Ille inter convalescendum eveniens cum utriusque lateris dolore, qui ante febrem extiterat, sociatus est. Hæc ante febrem exorta post ejus impetum ingravuit. Ægræ, variis remediis adhibitis, non perfecte sanatæ, at multum levatæ, ambæ Nosocomium reliquerunt. An hæ affectiones ex febre ullo modo pependerint, an casu solo acciderint, statuere difficile.

DE SEQUELIS INCERTIS.

Inter morbos febrem sequentes, et sub capitibus præcedentibus recenseri recusantes, iritidem,

phlegmonem, cynanchen tonsillarem, et ephidrosin, loco. Ultima sola studium meretur.

In mulierem, annos triginta et septem natam, incidit, quæ inter menses duos impetum febris acrem, duasque recidivas sustinuerat. Febris prima ex capitis, doloribusque generalibus cum sudore copioso, ortum duxerat. His successerunt epigastrii ex pressu dolor, et, ægra magnopere debilitata, lateris dolor atrox venæsectione et hirudinibus solis summovendus. Signa febris secundæ et tertiæ præcipua capitis dolor, debilitas, et sudores, fuere. Ægra, tempore quo in Nosocomium WHITWORTH recepta est, macie confecta, infirma, et pallida, nocte dieque largissime sudabat. Exercitatio minima caloris augmentum, indeque sudores movebat. Lingua quamvis munda fuisset, cibi appetentia minuebatur, alvo fere semper adstricta. Cinchonæ decoctum cum acido sulphurico diluto, vinum, et interdum cathartica, primo adhibebantur. Tractatio hæc aliquid certe commodi afferebat; at sudores adhuc eam affligebant, et nonnisi, post dolorem in intestinis exortum, quem secutæ sunt sanguinis dejectiones, in toto evanescebant. Menses post duos perfecte restituta ex Nosocomio dimittitur.

Febris, intemperantes invadens, relaxationem corporis generalem (ut credo) haud raro inducit. Casu præcedente relaxatio ab initio extitisse videtur, et venæsectio, tempore, quo morbus longe progressus erat, ægræque vires defecerant, celebrata, debilitatem fortasse auxit, atque ita cur sudores inter convalescendum tam pertinaciter effluerent, causam suppeditavit. Signa, tamen, sanguinis missionem indicantia, importuna fuere, et non oppressa, mortem aut statim attulissent, aut exitii fortasse longinquioris, at non minus certi, fundamentum posuissent. Medicus, ergo, malorum duorum majori obviam ire maluit, exitusque in judicium ejus, atque fortitudinem, non parum honoris confert.

In hoc casu observandum, quod alvus, perstantibus sudoribus, et cute laxata, pertinaciter adstricta fuerit; at simul ac derivatio superficies versus mucosas intestinorum evenerit, cutis mutationem ab illa aversissimam subiit, sudoresque protinus cessaverunt.

Præter affectiones recensitas, non ab re erit superdicere, psoram, cum febris declinaret, ex corpore toto sæpe erupisse, et convalescentes magnopere vexasse. Parotides raro occurrebant, et

gangræna extremorum, quæ febrem rus pervadentem non raro sequebatur, in Nosocomiis *Domus Industriæ* vix unquam sese ostendebat. Conclavibus amplioribus, ventilationi meliori, et curationi ægrorum assiduæ, cum Domino Todd sentiens, hanc immunitatem ascribo *.

---

* Dr Cheyne on Fever, Dublin Hospital Reports, vol. ii, p. 26.

FINIS.